



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

§. 1. Quid sit restitutio, & quibus detur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

9. Dubitatur de metu reverentia. At verior opinio est, non cadere eum metum in constantem virum, nec venire in Edictum. *Quod metus causa*, & c. l. ult. h. t. & l. *Ad invidiam* 6. C. eod. nisi minæ aut verbera, aut alius gravis metus accedat, ex c. *Ex litteris* inf. *De desponsat, impuberum*, in verbis, *noletis* &c. quæ sententiam latè deducit Sanchez *De matrim* lib. 4. Disp. 6. à num. 7. Similiter dicendum, solas minas per se non esse iustam causam metuendi, nisi procedant ab eo, qui solitus sit eas exequi, *juxta l. Metum* 9. Cod. h. t. ibi, *non jactationibus & protestationibus*.

10. Ex dictis intelligi potest, cur is, qui metu mortis inductus communicat eum excommunicato in iis, quibus Canones vetant communicare, in divinis scilicet, non excusetur à peccato, nec teneatur excommunicatione, c. *Saceris* 5. h. tit. Nimirum quia talis metus quo quis peccat, non potest esse iustus; quandoquidem quilibet, quemlibet metum potius perpeti debeat, quam semel mortale peccatum incurtere. Aliud dicendum, si absolute fuerit coactus, d. c. *Saceris*; quamvis etiam metus iustus hoc faciat, ut peccatum sit levius, d. c. *Saceris*.

11. Secundò, requiritur ad restitutionem in integrum metus præsens & iusta illius causa, veluti præceptum aut preces Principis, & similia, de quibus Sfort. Oddus l. p. q. 7. art. 9. à n. 84. & non tantum suspicio ejus inferendi, l. *Metum* D. eod. Quamquam si talis suspicio sit quoque iusta & probabilis, sufficiat ad rescindendum contractum, quia tunc habetur pro metu, per l. *Novissime* 7. D. *Quod falso tutoris auct.* & c. ibi, *quod si compulsus, aut metu, non compelleretur* & c.

12. Tertio, debet esse metus ab aliquo extrinsecus illatus, & quidem eo fine, ut res talis fiat, Hinc si quis aliquid promittat vel voveat, ægrotus, aut in periculo naufragii, ob metum mortis, vel res suas vendat, ne fame pereat, tamen tenetur, & stare debet suæ promissioni & venditioni, perinde ac si absque metu promississet vel vendidisset, c. *Sicut nobis* 17. inf. *De Regularibus*; quia hic metus non est ab aliquo extrinsecus illatus, sed suapte natura & fortuito accidit. Similiter si quis mihi metum inferat ad matrimonium contrahendum, & eo metu percussus res meas vendam, non retractabitur venditio.

13. Quid si quis iusto aliquo metu inductus promiserit aliquid, vel juri alicui renuntiaverit, puta electioni de se factæ, & juramento promissionem vel renuntiationem firmaverit, an non poterit uti exceptione hac, quod metus causa promiserit vel renuntiaverit, & contravenire juramento? Dicendum, licet Jure civili juramentum ejusmodi per vim & metum extortum sit nullum. *Auth. Sacramenta puerum* Cod. *Si adversus venditionem*; Jure tamen Pontificio, quod plus deferit religioni juramenti, si tale juramentum non vergat in dispendium salutis æternæ, omnino servandum esse, nec competere exceptionem, c. *Ad aures* c. *Cum dilectus* h. t. c. *Si verò aliquis inf. de jurejurando*. At verò si quod juratum est, sit turpe & contra bonos mores, tum juramentum est nullum, cum juxta regulam Juris, non sit obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum, c. *Non est de R. l. in 6* & teste Ambrosio in *can. Vnusquisque* xxii. q. 4. tolerabilis sit juramentum non servari, quam quod turpe est facere.

Notandum denique hic est, ei qui metum passus est, competere duo remedia, ad versus eum, qui metu gessit, scilicet actionem, *Quod metus causa*, quam intentare potest, dum vult contractum rescindere; & exceptionem, *Quod metus causa*, quâ, uti potest ad versus agentem, virtute contractus metu initi, & qua probata, repellit agentem.

TITULUS XLI.

De in integrum restitutione.

§. I.

Quid sit Restitutio, & quibus detur.

1. 2. Restituere & Restitutio quid sit.

3. Datur minoribus 25. annis.

4. 5. Dummodo probant & artem & lesionem & quanta ea esse debeat.

6. 7. 8. Datur præterea Reip. Ecclesie, & aliis pib. locis.

9. Item majoribus 25. annis ex justa causa.

10. Deque eo, quo in minori astate gestum est.

Instit.

Inscribitur hic Tit. *De in integrum Restitutione* generaliter, quia præter metum, ex aliis quoque causis specialibus competit restitutio in integrum, veluti minoribus, & Ecclesiis vel aliis lapsis seu circumscriptis, sive metu, sive caliditate, sive ætate, sive absentia inciderint in captivem, sive per mutationem status, aut justum errorem, l. 1. & 2. D. h. t.

1. Restituere duo significat; reddere, & rem in pristinum statum reducere, ut perinde sit ac si nihil adversus eam evenisset, l. Restituere D. de verb. sig. l. 2. §. restituas D. Ne quid in loco publico &c. & ita hic sumitur.

2. Definiturque Restitutio In integrum in pristinum statum repositio seu reductio, ean. fin. in fine 2. q. 3. sive pristini juris rei integratio: ita ut unusquisque jus suum integrum recipiat, perinde ac si nullum negotium gestum esset, l. Quod si minor §. restitutio D. de minoribus, l. unica Cod. de reputationibus, qua sunt &c. l. 1. C. De sententiam passis, Glossa in e. Audistis h. t. in V. contra reliquam.

Datur verò non statim quibusvis, sed certis personis, & iustis de causis, cognitis & probatis, eamque infra præscriptum à jure tempus peti necesse est.

3. In primis igitur datur hoc beneficium minoribus xxv. annis, si vel ipsi vel eorum tutores, curatores aut procuratores ex sententia Judicis, sive interlocutoria sive definitiva, vel alio actu judiciali læsi sint, l. 1. & 2. C. Si adversus rem judicatam &c. vel alias contrahendo aut committendo lætos se probent, Constitutus §. h. t.

4. Ut autem minor restituatur, duo probare debet: primo minorem ætatem, in qua quid gessit, d. c. Constitutus; quia regulariter ætatem probare debet: qui in ea se fundat sive agendo sive excipiendo; sive sit minor, sive major, l. Nam postea §. Si minor D. De jurejurando.

5. Secundo probare debet læsionem ex tali actu, vel dolo adversarii, vel ætatis facilitate: non tamen modicam, l. 4. D. eod. quæ scilicet tam levis atque exigua, quam judex merito contemnat. Neque enim facile ob rem minimam rescindi debet id quod jure subsistit, l. Si ex causa D. de minoribus, cum, ut dici vulgo solet de minimis non curet: Prætor, à quo hoc restitutionis beneficium proficiscitur, ut videre licet

latè apud Sfort. Oddum 1. f. 94. 4. art. 12. Sed neque maximam læsionem esse oportet, vel quæ tanta sit, ut dimidium excedat justis pretii, quia cum tunc minor sit tutus ipso jure, & communi auxilio munitus juxta l. 2. C. De rescind. vendit. illi necessarium non est hoc extraordinarium remedium, l. In causa cognitione 16. in princ. D. de minoribus.

Dico, non esse necessarium; quia licet regulariter cesset restitutio in integrum, quando remedium competit ordinarium, vel latè tradit Sfort. 1. p. 9. 17. art. 2. tamen potest cum eo concurrere, quando pinguius & plenius providetur per extraordinarium, quam per ordinarium, Sfort. d. q. 17. art. 2. v. 33. Uti in casu proposito locupletius est remedium hoc extraordinarium: & minorum interest, posse pluribus actionibus jus suum prosequi & remittere.

6. Secundo, exemplo minorum, competit Reip. ac civitati, l. 4. Cod. Quibus ex causis majores &c. l. 3. C. de jure Reip. lib. 11. item castro ac villæ, l. Si hæres jussus 73. §. vici D. de legat. 1. & ibid. Jason. idem Jas. ad l. fin. in princ. C. De sacros. Eccles. Quamvis privatorum loco habeantur, l. Eum qui 16. D. de verb. signif.

7. Similiter Ecclesiæ, quoquo modo læsa sit, sive contrahendo, sive alienando e. i. h. t. sive in judicio, sive extra judicium, per Episcopum vel alium Prælatum, aut per procuratorem aut syndicum, e. 2. 3. & 7. h. t. atque aliis piis locis: quia Ecclesiæ læsa minori comparatur, d. c. 2. & 3. in verbis, jure minoris: adeo ut etiam adversus aliam Ecclesiam petere possit hæc restitutionem, d. c. 3. & c. Suscitata 6. h. t. Imo & adversus sententiam Papæ, e. Ex litteris 4. cum seq. h. t. can. Sententiam & can. Veniam xxxvi. q. 9. sicut & minor adversus sententiam Principis, l. Minor 18. D. de minoribus. Nec obstat, quod dici solet, privilegiatum non posse uti suo privilegio in privilegiatum: quia id verum est in pari utriusque causa; puta, si uterque læsus sit, & uterque æque certet de damno vitando, quia cum possid. nris melior est conditio, e. In pari de R. Lin. C. Secus, si unus læsus sit, alter non, vel si unus certet de damno vitando, alter de lucro captando.

Quarto, competit etiam majoribus xxv. annis, si iusta causa sit, cur restitui mereantur, d. c. Ex litteris h. t. præsertim ob absentiam Reip. causa

causa, vel etiam ob aliam, l. 1. § 2. C. Ex quibus causis majores &c. l. Nee non D. eod. tit. ut iustitiam rotis, l. 2. D. eod. vel iustitiam ignorantia; de quibus late Sfort. Oddus 1 p. q. 8 per tot. juxta illam Prætoris generalem clausulam, Si qua alia iusta causa mihi videbitur, in integrum restituum, l. 1. D. Ex quibus causis majores, &c. Ad quam clausulam toties recurrendum erit, quoties æquitas suggeret, l. Sed et si § fin. D. d. t.

Sed & majoribus competit de gestis in minore ætate, intra quadriennium ab ingressu ætatis majoris, l. ult. C. De temporib. in integrum restitut.

§ II.

Intra quod tempus, & coram quo peti restitutio debeat.

1. Peti debet intra quadriennium continuum à tempore laesionis.
2. Coram iudice rei.
3. Adversus sententiam inferioris vel qui æqualis sit jurisdictionis.

Peti & peragi restitutio in integrum debet intra quadriennium continuum à tempore seu dielætionis, c. 1. § 2. eod. in 6. Idque cognita causa, ob quam petitur, & præsentè adversario, ut causas restitutionis allegari ab impetrante audiat, d. c. Ex litteris l. 3. D. eod. quia quod quem tangit, peragi non potest, nisi is ejus sit certior factus, c. Quod omnes De R. l. n. 6. aut per contumaciam ablit, l. In causa 13. in princ. versie. causa D. De minorib. Si tamen aut prævaricationis aut fraudis manifestè probetur intervenisse commentum, aut alia iusta causa subsit, poterit Juxta tempus hoc quadriennii in danda restitutione excedere, d. c. 1. § 2. eod. in 6. Proponitur autem hæc petitio, non jure actionis sed implorato iudicis officio, l. Quod si minor 24. §. ult. D. eod. & est communis.

2. Peti verò restitutio debet coram Iudice rei contra quem petitur, d. l. In causa 13. §. fin. cum l. seq. c. Causa h. t. quia actor sequi debet forum rei. Oportet tamen hunc Iudicem habere administrationem jurisdictioni suæ conjunctam; vel esse delegatum ab eo ad universitatem causarum, qualis est Officialis Episcopi vel specialiter ad hoc iudicium exercendum: nam Ordinarius, qui administrationem non habet, sed tantum judicandi facultatem, & delegatus ab eo, de

causa restitutionis cognoscere non potest, ut nec arbitrarie compromissarius; nisi coram eis mota incidenter fuerit causa V. G. Si Juxta sententia sua interlocutoria alterum læserit, restituere potest adversus hanc suam sententiam d. c. Causa h. t. l. fin. Cod. ubi & apud quem & c. l. Quæstio c. De iudicio Sfort. 1. p. q. 31. art. 6. & seq. At verò delegatus à summo Pont. etiam ad unam aliquam causam, quia multò pinguius jus habet, quam delegatus ab Ordinario, ut dictum est sup. De officio & potest. iud. deleg. restituere indistinctè potest.

3. Minor magistratus adversus sententiam majoris non restituit, l. Minor 18. in princ. D. de minorib. Adversus sententiam definitivam ipsius Principis, vel Procuratoris, vel Vicarii, aut delegati illius, solus restituit Princeps, d. l. Minor, l. 3. C. Si adversus rem judicatam &c. Sfort. 1. p. q. 51. art. 3. n. 33.

Potè Juxta in concedenda restitutione in integrum adversus contractum, n. eto jure validum, prospicere debet, ne is, adversus quem restitutionem concedit, fraudetur pretio vel sumptibus seu melioramentis necessariis & utilibus, quæ fecit, c. 1. h. t.

§ III.

Effectus restitutionis in integrum.

1. Pendente restitutione nihil innovandum.
2. Ea obtenta redintegratur pristinum jus.
3. Transit eadem in heredem, non in suæ iussorem.

Effectus restitutionis in integrum pro subiecta materia varius est. In primis pendente restitutionis iudicio regulariter nihil est innovandum ab una vel altera parte, sed omnia in statu suo manere debent, donec res finita sit, l. unica Cod. restitut. in integr. postulata ne quidem novi fiat: nisi contra eum, qui petit restitui in integrum milititer vehemens præsumptio malitiæ, quod scilicet causa differendi & protrahendi executionem sententiæ hoc perat; quia hoc casu sit executio, præstita idonea cautione de restituendo, quod medio tempore, occasione sententiæ, percipiet adversarius, si petens restitutionem prævaluerit, c. Suscitata h. t.

2. Obrepta vero restitutionis effectus est, quod, data restitutione adversus sententiam, et integro agi debeat, adversus contractum vero vel alium actum, res retrahatur, & in pristinum statum reponatur.